

quarto a morte Chosrois, magnam Synodum Episcoporum, & Doctorum majoris Armeniae, accersitis Catholico, & Azatis omnibus, & Θεοδοσιόπολι, Theodosiopoli (1) haberi praecepit, inquiri, & dispicere de duabus in Christo Deo nostro naturis, & de Synodo Chalcedonensi. Per mensem integrum quaesierunt, & ex scripturis Armeni convicti sunt, juraveruntque scripta propria manu schedula nihil se amplius contradicturos. Ex his quae addit Narrationis auctor (inquit Quienus Tom. i. pag. 1387.) habemus Joannem illum, qui adversus Christophorum & Chomitam, Catholicatum ambierat, illum fuisse Maracumensem, cujus Annales meminere, quique mihi non est alius a Joanne Maurocomita, quem Joannes Nicænus Epist. ad Zachariam Catholicum Armenorum, seductorem dicit, & Juliani Halicarnassensis (2) consiliorum socium putavit: quod tamen postremum, ratione temporum, a veritate alienum dixi. Rursus Narrationis auctor refert, Joannem istum, Armenos qui a Theodosiopolitana Synodo defecerant, Stephanum quoque Episcopum Cartamana, & Mathusalam ortum ex urbe Sina provocasse, ne Esdrae Catholico communicarent, aut cum illis qui eadem ac ille saperent. Quae quum ille moliretur, venisse Stephanum Cartamanensem, & Mathusalam ad Esdram Catholicum, ejusque communionem inivisse, ex quo in Joannis odium incurrerunt, quos quum multis injuriis Joannes affecisset, nihil tamen obtinuit: omnes enim prorsus ab eo defecerunt: quin etiam Armeni Catholicam fidem mordicus tum tenuerunt. Nierses autem post Esdram Catholicus Concilium coegit Episcoporum, Magistrorum, & Azatorum, ad quod ille Joannes Maracumensis vocatus, de cunctorum sententia exilio multatus est, atque impressa a Praetore Armeniae fronti ejus, ferro candenti, vulpis figura, unacum sociis in Caucasum montem deportatus est, unde post (3) Anastasii xxxiv. Catholici obitum regressus, gravis annis extinctus est. Verum eo defuncto,

(1) Theodosiopolim eam fuisse ajunt: quae Erzerum hodie dicitur. Quienus Tom. i. pag. 1387.

(2) Hoc est, ejusdem cum Halicarnassensi haereseos.

(3) Apud Armenum Chronographum Anastasius xxx. Catholicus censetur.